minime poteſt abſolui etiam à non reſeruã-tis. Nullus enim poteſt abſolui à quocunq; peccato, niſi prius ab excommunicatione ab ſoluatur. à qua inferior, ſi eſt reſeruata, minime poteſt abſoluere. Verumtamen eſt, quòd inſtante maxima neceſſitate communicandi, aut celebrandi ad euitandum magnum ſcandalum, poteſt iſte talis cum contritione accedere ad hoc altiſſimum Sacramentum, prout tenet Sotus. in 4. diſtinctione. 18. quæſtione. 2. art. 5. §. Hoc autem dubium. Couaru. in capit. Alma mat. 1. p. §. 2. numer. 11. Medin. in Sum. 1. lib. capi. 11. §. 5 Ledeſm. 2. 4. quæſtion. 25. art. 1. prope finem. Caſtro lib. 2. de Lege pœnali. cap. vlt. Iuxta quam doctrinam eſt gloſſandus, idem Soto in 4. diſtin. 12. quæſtion. 5. art. 4. §. Quartus caſus, dicens, quòd in nullo caſu neq; ad euitandum ſcandalum licitum eſt excommunicato celebrare. Hoc enim intelligi debet, quando ſcandalum eſt paruum, non vero quando ſcandalum eſt magnum: preceptum enim de non ſcandalizando fratrem, eſt Diuinum, & naturale: preceptum autem non communicandi cum excõmunicatione, preſuppoſita debita contritione